

NICOLAI COPERNICI

scrup. XVIII. ut tota eius libratio non compræhendat amplius quàm scrup. XXIII. Saturni autem inclinatio maxima part. II. scrup. XLIII. minima part. II. scrup. XVI. inter ea libratio scrup. XVIII. Hinc per minimos inclinationum angulos, qui in opposito loco contingunt, dum fuerint sub Sole latentes, exhibent abscessus latitudinis à signorum circulo Saturni part. III. scrup. III. Iouis pars una, scrup. VI. quæ erant ostendenda, ac seruanda pro tabulis infra exponendis.

De cæteris quibuslibet, & in uniuersum latitudinibus exponendis horum trium siderum. Cap. III.



LX his deinde sic ostensis patebunt in uniuersum ac singulæ latitudines ipsorum trium siderum. Intel- ligatur enim quæ prius plani recti ad circulum si- gnorum sectio communis AB , per limites extrema- rum digressionum. Et sit Boreus limes in A , sectio quoque cõmu- nis orbis planetæ recta CD , quæ secet AB , in D signo, quo factò cẽ- tro describatur orbis magnus terræ EF , & ab acronychio quod est E , capiatur utcũq; EF circũferentia cognita, ab ipsis quoque F & C , loco stellæ perpendiculares agantur ipsi AB , & sint CA , FG , & connectantur FA , FC . Quærimus primum angulum ADC , incli- nationis eccentrici, quantus ipse sit in hoc themate. Ostensum est autem tunc maximum fuisse, quando terra fuit in E signo: patu- it etiam, quòd tota eius libratio cõmensuratur reuolutioni ter- ræ in EF circulo penes dimetientem BE , pro ut exigit natura li- brationis. Erit ergo propter EF circumferentiã datã ED ad EG ratio data, & talis est libramenti totius ad id quod modo ab an- gulo ADC decreuit. Datur propterea ad præsens angulus ADC , idcirco triangulum ADC datorum angulorum datur cum omni- bus eius lateribus. Sed quoniam CD , rationem habet datam ad ED , ex præcedentibus, datur etiam ad reliqua DG . Igitur CD & A D , ad eãdem GD , hinc & reliqua AG datur, quibus etiã datur FG , est enim dimidia subtendentis duplum EF : duobus ergo lateri- bus trianguli rectanguli AGF datis, datur subtensa AF , & ratio AF , ad AC , sic demũ duobus lateribus trianguli rectanguli ACF , datis